

*vasis minimè. Paulò post, ut aliorum objectionibus (venas nimirum tunicam albam habere, ideoque rubrum succum producere non posse) satisfaciat, addit: vene possunt sanguinem generare, & beneficio à jecore mutuato. Et ob sibi insitans efficaciam propter fibras carnosas, quibus sunt prædita.*

11. *Vesalius jecori solùm hoc officium demandatum esse credit: jecur, ait, in omnes Portæ ramos per substantiam ipsius digestos, quicquid humidum succulentumq; ventriculus confecit, in se admittit, & substantiæ suæ ingenitâ vi alteratrice id emutans, sibi quæquam simillimum reddens, sanguinem generat. Idem docuere Argenterius & Columbus. Inter Neotericos Asellius eandem sententiam propugnat, & quidem ad sensum provocando: lacteas enim venas per carnem hepatis dispergi, in eam desinere obliterariq; sibi animadvertum, ait, nullâ interim notatâ deprehensâq; cum vasis cæteris communiõne muneris aut societatis. In illò, addit, Chylus, qui modò albus erat, nunc concoctione, ejus caloris elaboratione rubescit, non mixtione cum aliò sanguine, sed propriò hepatis calore: excrementum etiam hîc se ponit biliosum, quod fieri nullo modo poterit, nisi coëlio præcesserit. Highmorus haut invitus consentit.*

12. *Hoffmannus in Comment. in Galen. de us. part: hepatis quidem aliqualem sanguificandi vim tribuit, quam autem non propriâ virtute, sed irradiatum à cordis calore habeat; & hoc docuit idem, quod liber de anatom. vivor. Galeno ascriptus; in quò hæc de hepate: Ponitur autem in dextrâ parte ex directò, ut directè suscipiat supra se insufflationem cordis ipsum vivificantis.*

13. *Conringius repudiatis aliorum sententiis, concludit chylum nequaquam in hepatis parenchyma incidere; (quòmodo non pateat, quæ iterum in venas assumi queat) sed in radicibus venarum lactearum in sanguinis substantiam mutari, & exinde ad cavæ ramos transire suspicatur.*

14. *Paracelsus de usu hepatis satis videtur esse dubius, dum scholis contradicendi studiò, novitatis admirationem aucupatur, eandem cum quibusdam Galenicis opinionem fovet inusitatò loquendi modo fraudem solummodo pallians. Etenim l. 2. de Tart. tract. 2. ut & alibi in hepate digestionem alimenti è ven-*